

**Mutatio accidentalis.** Transitus subjecti a privatione accidentis ad ipsius accidentis acquisitionem, vel ab accidente ad ejusdem privationem; ut cum ex infirmo homo fit sanus vel contra, aut ex nesciente fit sciens.

**SUBSTANTIA.** Si substantia possit habere definitionem, non obstante quod sit genus generalissimum, erit ejus definitio, quod substantia est res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo; vel etiam essentia cui competit per se esse et non in alio. (S. Th.)

Substantia dividitur in *primam* et *secundam*, in *completam* et *incompletam* tam in ratione speciei quam in ratione substantialitatis, in *simplicem* et *compositam*, in *corpoream*, *materialem* et *imaterialem* seu *spiritualem*.

**Substantia completa in ratione speciei.** Substantia quae negationi essendi in alio addit negationem essendi cum alio ad componendam aliquam naturam specificam; ut sunt angeli.

**Substantia incompleta in ratione speciei.** Substantia quae negationi essendi in alio addit naturalem ordinem essendi cum alio ad naturam specificam componendam; ut sunt animae humanae. Cujus signum est si substantia aliqua nequeat totaliter per semetipsam exercere operationes omnes illius speciei.

**Substantia completa in ratione substantialitatis.** Illa quae per semetipsam operationes sibi proprias et specificas exercere potest, et de facto exercet, independenter *subjective* ab alio, cum quo forte est unita ad complementum speciei. Sic anima humana suas operationes specificas, *intelligere* et *velle*, independenter a corpore exercet, non quidem *objective*, quia ad cognitionis objecta sibi comparanda sensibus indiget, *subjective* vero, et est